

1-2.

SPECIMEN HISTORICUM

DE

VETERE CARELIA

ANTE OCCUPATIONEM SVECANAM;

QUOD

CONS. AMPL. FAC. PHILOS. ABOËNS.

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBJICIUNT

AUCTOR

GABRIEL REIN,

Amanuensis ad Bibl. Acad. Extraordinarius.

&

RESPONDENS

JOHANNES GABRIEL NORRING,

Stip. Publ.

Wiburgenses.

Sectionis primæ

P. I.

In Audit. Philos. die 26 Februarii 1825.

h. a. m. c.

ABOË, Ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.

35.

VIRO

MAXIME REVERENDO ATQUE CELEBERRIMO

S. S. THEOLOGIE IN ACADEMIA ABOËNSI PROFESSORI

ET

ORDINIS IMP. DE S. ANNA IN II:DA CLASSE EQUITI

D:NO MAG.

ERICO GABRIELI MELARTIN,

FAUTORI ET PATRONO PROPENSISSIMO,

in pignus venerabundi & gratissimi, magnis quippe & prope innumeris debiti beneficiis, animi, primitias hasce sui sacratas

voluit, debuit
AUCTOR.



Manca sane, lacunosa & abrupta est notitia, quæ de antiquioribus Fennix rebus ad nos pervenit, licet historiam earum ultra prima certiora testimonia scriptorum, i. e. ultra seculum decimum primum extendere haud studeamus. Majores nostri, arte scribendi & scientiarum cultura destituti, vivendi genus suum, res gestas & instituta describenda reliquerunt peregrinis; quorum autem proximi, terram illorum armis aggressi, vel omnem cognitionem de Fennia specialiore sibi acquirere neglexerunt, vel fervore fidei Christianæ propagandæ incensi, & a scandalo superstitionis paganicæ abhorrentes; memoriam pristini cultus & vivendi modi majorum, e mentibus Fennorum radicitus evellere studuerunt. Quæ vero indicia de patriæ nostræ statu, a viris ejus cognoscendi cupidis, scripto forsan fuerint exarata, tabulariisque ad aservandum demandata, temporum iniquitate jam pridem perierunt, neque nobis e communi hocce monumentorum naufragio, tempore reformatæ apud nos fidei remanserunt antiquiora, nisi *Cbronicon* unum *Episcoporum Finlandensium* breviusculum, imprimis sorti ecclesiæ Fennicæ illustrandæ inserviens, & liber qui inscribitur *Abo Domkyrko Swartbok*, collectionem litterarum, præcipue privilegia ecclesiæ Aboënsi concessa tangentium, continens. Viri tandem, qui cura primi apud nos Episcopi

A

Evan-

Evangelici, MARTINI SKYTTE, Wittebergæ in Schola Lutheri & Melanctonis nova doctrina imbuti erant, in patriam reversi, præter summum, fidei scilicet purgatæ lucem popularibus profitendi, sibi demandatum negotium, antiquitati quoque Fennicæ illustrandæ diligentiam adhibuerunt laudandam. Unus eorum, PAULUS JUUSTEN, Episcopus primum Wiburgensis, deinde Aboënsis, Chronicon mandavit litteris Episcoporum paullo compositius, magnam ad partem tamen, ut ipse fatetur Auctor, e priore jam allato chronico haustum; alter, MICHAËL AGRICOLA, Episcopus Aboënsis versione suâ Fennicæ Psalmorum Davidicorum proœmii loco, præfixit carmen, quod deorum apud Fennos ethnicos exponit cultum. Post eorum tempora SIGFRIDUS ARONIS FORSIUS, percelebris suæ ætatis Mathematicus, Mythologiam Fennicam, rhythmicè composuisse fertur a Wexionio 1); omnia autem quæ inde commemorantur, cum effatis Agricolæ ita omnino conveniunt, ut jam heic errorem irrepsisse suspicemur. Ad accuratam vero historiam Fennicam concinnandam, diu nemo sese accingere ausus est. Scriptores rerum Svecicarum Fennicæ quidem fata, uti occasio sese præbuit, quoque tetigerunt, sed tantum prætereundo, & conditio nostratium conjunctionem cum iis præcedens, prope omnino oblivioni tradita erat. Quare qui tandem specialem patriæ historiam scribendam sibi proposuerant, præter Svecos, aliarum quoque gentium auctores, præcipue Islandicos consulere coacti erant. Ex his tamen nuntiis, meris fabulis sæpe exornatis, antiqui nostri rerum scrutatores (quorum temporibus, ut ita dicam, in incunabulis adhuc versabatur historica investigatio), omnia, materia haud critice dijudicata vel pensitata, tam vera quam falsa, imo sæpissime, quæ haud quaquam nostros Fennos sed alias ejusdem vel similis nominis gentes tetigerunt, una comprehenderunt effigie; quare fidei tam sunt

sunt vacillantis, ut asseritis eorum imprimis ubi antiquiora tractant tempora, aliis argumentis destitutus, vix aliquid firmare queas. Effatum hocce præsertim duos primo asserendos respicit. JOHANNES MESSENIUS, vir fato duro deplorandus, eruditione & diligentia æstimabilis, viginti per annos Cajanæburgi in vinculis detentus, opus composuit "*Scandia illustrata*" inscriptum 2) cujus Tomus decimus Chronologiam Fennicæ, Livonicæ & Curlandicæ complectitur plenam. Præterea cæteræ quoque hujus operis partes multa Fennos tangentia exponunt, & tandem speciatim quoque tractavit historiam nostram Chronico rhythmis Svecanicis composito, Aboæ A. 1774 typis excuso. Huic titulus: JOH. MESSENIJ Berättelse om några gamla och märkvärdiga Finlands Handlingar, hvilken innehåller en Krönika om Inbyggarens härkomst, bedrifter, Gudstjenst, Konungar, Regenter och Biskopar, på Swenska Rim beskrefwen. Rerum statum, ubi sui juris adhuc erant nostrates, *anonymus* quidam Chronici Finlandicæ *Auctor* exponendum sibi sumisit, quem circa medium seculi decimi septimi vixisse, inde colligeremus, quia de fortibus Fennorum in Germania & Polonia rebus gestis mentionem facit, quibus sine dubio GUSTAVI ADOLPHI ætatem respicit. De tempore Rusfici dominiis brevissime agit, & in exordio Svecanæ occupationis finem operi imponit 3). Condita A. 1640 Academia Aboënsi, primus apud nos Polit. & Historiæ Profesor, MICHAËL WEXIÖNIUS, nobilitatus GYLLENSTOLPE, a Cancellario tunc temporis, summo patriæ & Academiae Patrono, Comite PETRO BRAHE excitatus "*Epitomen Descriptionis Sveciæ, Gothiæ, Fennicæ & subjectarum provinciarum,*" Aboæ 1650, edit. In temporibus licet remotioribus auctorum minus certorum innitatur auctoritati, constitutionem tamen patriæ suo ævo, quam imprimis depingendam sibi proposuerat, exacte & prout in ambitu compendii fieri potuit,

dilucide exponit. Qui vero post eum res Fennicas carptim, dissertationibus maxime Academicis, explicare susceperunt, præ aliis laudandi sunt DANIEL JUSLENIUS, Episcopus primum Borgoënsis, deinde Scarenis, Lexici quoque Fennici auctor; ALGOTHUS SCARIN, Historiarum & Moraliū quondam apud nos Professor, Cancellariæ Consiliarii honore auctus; PETRUS KALM, Historiæ naturalis & Oeconomix Professor, itinere in Americam borealem instituto, apud exteros quoque inclytus; PETRUS ADRIANUS GADD, Chemix Professor, Ordinis Wafæi insignibus ornatus, & JOHANNES BILMARK, Historiæ & Moralium quondam Professor 4). Neque prætereunda judicamus, ubi recensentur historici Fennici, opera Nob. STIERNMAN, quorum tamen pars adhuc manuscripta aservatur 5). Maximum vero ad antiquitatem nostram illustrandam præbent usum, opera viri de Patria immortaliter meriti, Eloquentiæ quondam apud nos Professoris H. G. PORTHAN, Chronicon namque laudatum Juustenianum, licet antea jam typis excusum 6), emendatiore editione divulgari curavit, commentariisque & annotationibus res Fennicas explicantibus, ex egregio jam itidem allato rerum antiquarum thesauro, Åbo Domkyrko Swartbof, maxime haustis, eum in modum auctum promulgavit, ut vir assiduo & indefesso cum Musis commercio inclytissimus, summo jure hoc sibi vindicare posset: "*borreum sese condidisse historia Fennicæ*" Inopia etiam documentorum scriptorum coactus, linguam ipsam (effigiem quasi indolis morumque populi, & vivum fatorum atque culturæ ejus exemplum), hodegeten elegit, quo spissas tenebras, quibus antiquitas patriæ obducta erat, collustraret. Quo usus adjumento & adhibitis simul in auxilium fragmentis poëseos Fennicæ 7), quæque de affinibus populi nostri, Estonibus memoriæ prodita exstant, conditionem antiquam majorum tam manifeste exposuit, ut vix plenior rem

rem cognitionem ex iisdem fontibus haurire liceat. Operi huicce, quod res nostras ad finem seculi decimi sexti persequitur, hæc præfixa est inscriptio: "M. PAULI JUUSTEN, *Episc. quond. Ab. Chronicon Episcoporum Finlandensium, Annotationibus & Sylloge Monumentorum illustratum ab HENRICO GABRIELE PORTHAN.*" Dissertationibus Aboæ editum 1784 — 1800. 4:o. Alterum vero fragmentum chronici veteris inter Manuscripta Palmsköldiana, quæ Bibliotheca possidet Academica Upsaliensis, repertum, secundo operi, quod appendicem priori libro additum voluerat, præposuit. Huic titulus: "*Sylloge Monumentorum ad illustrandam historiam Fennicam pertinentium.*" Aboæ 1802 — 1804. 4:o. Congestis ibi, secundum ordinem temporum, pluribus bullis papalibus aliisque litteris Fenniam respicientibus, collectio hæcce, morte editoris interrupta, nondum, quod dolendum, continuata est. Insignem quoque, in utroque opere concinnando, præstitisse opem bullarum collectionem a Nob. FREDENHEIM ex Italia adductam, Bibliothecæque nostræ Academicæ dono concessam, ipse fatetur Auctor 8). His ubi adjicias alias dissertationes varias ejusdem materiæ, quæque in *Ephemeredibus Aboæ editis, & in Actis litterariis Svecicis* excudi curavit vir indefessus, item quæ post ejus tempora ab aliis eruditissimis antiquitatis patriæ amatissimis divulgata sunt 9), facile credas, plurimos jam historiæ nostræ in Fennia & Svecia thesauros exquisitos & in lucem productos esse, neque multa ibi ignota aut inexplicata amplius remansisse. Operibus præsertim Celeberrimi PORTHAN adjutus Cel RÜHS opus suum, *Finnland und seine Bewohner, Epz. 1809*, composuit, quod hucusque præcipuum permansit manuale rerum Fennicarum studiosis, quodque viam quasi nobis offert oculis perlustrandam, qua e primordiis culturæ, ducibus & tutoribus Sveciæ Regibus, grata posterorum mente semper colendis,

ad

ad statum civilem, ad fidei Christianæ cognitionem, ad libertatem legibus munitam longo sane & aspero pervenimus itinere. Periodus certe in historia Fennorum maximi momenti! — Attamen neque tempora Svecorum imperium præcedentia negligenda esse putaverimus; cum vero ad ea illustranda multa adhuc desiderentur documenta, cum de ipsis initiis Scandianæ occupationis manca tantum hucusque remanserit cognitio, aliarum quoque gentium Auctores coævos consulamus, necesse est. Horum autem plurimi, longinqua terrarum distantia separati, rumores plerumque obscuros de remotiori septentrione sectantes, vagam & incertam, imo fabuloso sæpe nimbo obvolutam nobis præbent rerum notitiam. In nullo igitur alio populo testes de antiqua illa ætate Fennorum fide magis dignos quærere datur, quam in Rusico, qui scilicet ista jam ætate, vicinia adjuvante, multiplici cum majoribus nostris utebatur commercio. Mancam suo tempore notitiam historiæ Rusicæ conquestus, plenioris ejusdem cognitionis utilitatem passim professus est Cel. PORTHAN 10). Post eum quoque usus, imo necessitas ejusdem, rebus nostris illustrandis, a viris tam antiquitatis patriæ, quam litteraturæ Rusicæ peritis luculenter est comprobata 11). Præsertim autem recentioribus demum temporibus de egregia ope, quam indagandis remotioribus gentis nostræ fati adferre possit studium litterarum Ruthenicarum persuasum reddidit rerum peritis commentatio Cel. Academici Petropolitani, A. C. LEHRBERG: Ueber die Wohnsitz der Samen, ein Beitrag zur Geschichte Neu-Sinnlands 12), ubi nomen ЕМЪ vel ЯМЪ, eousque in annalibus Rusicis inexplicatum, ad nostros majores esse referendum, manifeste probatur. Ea quæ antiquis Ruthenorum monumentis de Fennia tradita sunt, ad nosmet de moribus gentis & terræ indole edocendos parum quidem conducunt, ad illustrandam

dam vero consuetudinem tam hostilem quam amicam quæ olim inter utrumque populum intercesserit, maximi sunt momenti, itemque explicandis & clarius perspiciendis iis, quæ ab auctoribus Svecorum narrantur, haud mediocrem præbent usum. Commentationi præcipue Lehrbergianæ innisus, Consiliarius Collegiorum, nob. GERSCHAU librum suum: *Versuch über die Geschichte des Großfürstenthums Finnland*, Odensee 1821, edidit, qui tamen, utpote ab Auctore ipso nonnisi tentaminis loco propositus, expositiorem historiam Fennicam minime explere potuit. Quo accuratius autem exploratæ fuerint singulæ res gestæ majorum, singulique tam prosperæ quam adversæ fortunæ casus, quo luculentius explicare contigerit monumenta antiqua sæpe obscura, eo potius sperare licet, fore ut tandem e popularibus exstet vir, qui totum gentis nostræ fatorem ambitum una complecti valeat effigie, plenamque ejusdem demum concinnare audeat historiam, quare, si, quantum vires tenues & inexercitatæ permittant, symbolam quandam ad illustrandam historiam nostram antiquiorem conferre sequentibus datum fuerit paginis, propositum haud frustraneum nosmet suscepisse arbitramur.

- 1) Cfr. WEXIONII *Epitome descriptionis Sueciæ, Gothiæ, Fenningiæ &c.* Lib. X. Cap. II.
- 2) Edita & annotationibus aucta a Joh. Peringsköld. Stockholmiæ 1700—1705. Fol.
- 3) Reperitur in libro Nob. NETTELBLATT: *Schwedische Bibliothek*: Erstes Stück. Stockh. 1728. S. 96—115.
- 4) Dissertationes virorum laudatorum enumeratas inveniet L. B. in *Catalogo Disputationum in Academiis & Gymnasiis*.

nasiis Sveciæ &c. habitarum; Collectore J. H. Lidén, Sect. III. Ups. 1779; & in continuatione ejusdem operis a G. MARKLIN. Ups. 1820.

- 5) *Aboa Litterata, Holmiæ 1719. Manuscripta verò adhuc servantur opera ejus Bibliotheca Sveo Gothica, Tomus sextus & Högdinga-Minne, pars secunda, res Fennicas continentia.*
- 6) In libro a Nob. NETTELBLATT edito; cui inscriptio: *Schwed. Biblioth. Erst. Stück. S. 62 — 91.*
- 7) Speciali quoque tractavit opere "*Pörsin Fennicam,*" Dissertationibus Aboæ a. 1766—1778 defensis.
- 8) Cfr. PORTH. *Accessio ad Recensionem bullarii Romano Sveo-Goth. Prolegom. p. XII. sq. Syll. Mon. p. 24 & passim.*
- 9) In iis imprimis recensendi sunt:

Reverendissimi jam Archi-Episcopi JAC. TENGSTROM: *Minne öfwer Johannes Etai Terserus, Åbo 1795; "Vita & Merita "M. Isaaci B. Rothovii, Episc. quond. Aboëns."* Partt XVIII. Aboæ 1796 — 1813. 4:o. "*Oratio Funebris in "Memoriam — H. G. Porthan, dicta ex Cathedra Academicæ, die 23 Nov. 1804,"* Typis excusa Aboæ 1821. 4:o. *Abhandling om Presterliga Tjenstgörningen och Afslöningen i Åbo Erke-Stift. Utgifwen af Domkapitlet i Åbo, 3 Delar, Åbo 1820 — 1822, 4:o; Reverendissimi quond. Episcopi Borgoënsis M. J. ALOPÆI Borgå Gymnasii Historia; 5 Häftnen, Åbo 1804 ff; Ampl. & Cel. Cancellariæ Consiliarii, Eloq. Prof. & plurium Ordinum Imp. Equitis JOH. FREDR. WALLENII: "Diss. de Fennis summos in Philosophia Honores ante conditam Academiam Aboënsẽ adeptis."* Pars I—III. Aboæ 1810 — 1812, 4:o; & "*Historia descriptioque*

tiouque Paræcia Mändyharju," Partes III. Aboæ 1812 — 1814, 4:0; Cel. Professoris & Equitis FR. W. PIPPING: "*Diss. de Bibliothecariis Academicæ Aboënsis,*" cujus partes undecim hucusque in lucem prodire; Percelebris JOH. JAC. TENGSTROM: "*Diss. de Viris in Fennia peritia litterarum Græcarum claris,*" Aboæ 1814 sqq. — In Ephemeridibus quoque a. 1819—1823 Aboæ promulgatis, quibus nomen "*Mnemosyne*" inditum erat, varia occurrunt Historiæ indagandæ inservientia.

- 10) PORTH. ad Juust. P. 114, not. 88. Id. Om Finska Försäkrings läge oc. i Sw. Witterth. Acad. Handl. Del. IV, S. 8, not. h.
- 11) RENVALL: "*De studio historiæ patriæ in scholis Fenniciæ colendo,*" Aboæ 1813, p. 8 sq. & EHRSTRÖM: "*Diss. tractatum Pacis Cardisensis, secundum Exemplum manuscriptum Russicum in Biblioth. Auræica servatum, cum Vers. Lat. & animadverss. exhibens,*" Aboæ 1816, p. 2 sq.
- 12) Reperitur in libro: Untersuchungen zur Erläuterung der ältern Geschichte Rußlands von A. C. Lehrberg. Herausgegeben, v. d. Kayserl. Acad. d. Wiss. durch Ph. Krug. St: Peteröb. 1816. 4:0.

§. I.

Quæ in Scriptoribus, tam antiqui quam medii ævi reperiuntur memorata de Fennis, rarissime & serioribus demum temporibus referenda esse ad nostros Suomalaiset, jam apud historicos in contesto est; eo scilicet nomine præsertim olim designatos fuisse LAPPONESI, descriptiones de moribus & vitæ genere eorum plus quam satis probant. Occurrit tamen jam in PROLOMEO alius populus ad Wistulam fluvium habitans & maris Baltici meridionali litori vicinus, Fennorum nomine appellatus 2),

de quo autem nihil ulterius constat. Lappones ante immigrationem majorum totam nostram patriam gregibus peragrassæ 3), a nostratibus vero paullatim detrusi, non modo habitacula, verum etiam nomen suum hodiernis Fennis reliquisse videntur. Primo enim omnes patriæ incolæ, tam nomades quam agricolæ, minus adhuc cogniti, Fenni nuncupati sunt a Scandianis; orta vero, e frequentiore commercio, accuratori quoque terræ nostræ & incolarum cognitione, Sveci imprimis armis nostrates aggressi, utrumque populum tam diversum, diversis quoque significare cœperunt nominibus, & vocabulum *Lapper* a majoribus nostris forte acceptum nomadibus indiderunt 4). Nihilominus tamen Norvegi & Islandi, quibus minus cum superioribus nostris interceserat commercii, Lappones, imprimis maritimos, Fennorum nomine nuncupare perrexerunt 5), & aliarum gentium auctores, ubi nostros *Suomalaiset* indigitare volunt, aliis omnino utuntur vocabulis. Sic in *Orosio Anglo-Saxonico* Regis *Alfredi* vocem "*Sermende*" nostram spectare stirpem contendit *Cel. RASK* 6), & licet in annalibus Ruthenicis tam distincte denotati sint Fenni, ut cognatos hodiernorum in iisdem dignoscere haud nequeas, hoc tamen Fennorum nomen ante frequentiore cum Svecis consuetudinem in iis haudquaquam occurrit. *NESTOR* enim monachus *Kioviensis*, primus chronographorum *Russiæ*, pro more temporis, opus suum a genealogia populorum ortus, omniumque gentium de tribus *Noæ* filiis originem demonstraturus, in catalogo *Japhetidarum* varias Fennicas stirpes enumerat, quas "*Tschudos & omnes* (eorum) *gentes*" appellat 7). *Tschudorum*, proprie sic dictorum, nomen plures gentes Fennicas complectitur, quæ variis postea appellationibus innotuerunt, scilicet incolas *Estoniæ*, *Votas* & *Ischorzos* (hodiernos *Ingrios*) & *Carelios* usque ad mare *Album* 8), ubi etiam in utraque ripa
Dvi-

Dvinæ fluvii Tschudi favolocani, i. e. trans isthmum habitantes 9), sedes suas tenuerunt 10). Inveniuntur tamen jam in scriptore seculi sexti in JORDANE 11) nomina populorum plurima, cum appellationibus stirpium Fennicarum Nestoris magnum in modum congruentia. Ermanaricum scilicet, Gothorum regem, multas & bellicosissimas arcticas gentes perdomuisse narrat, inter quas refert: "*Tbuidos in Aunxis, Vasinobroncas, Merens, Mordensimnis, Caris, Rocas*" cæterasque. In his a descriptoribus sine dubio corruptis nominibus Ill. SCHLÖZER Tschudos, Vesfos, Meros & Mordvos agnosci vult 12); cum eo in pluribus consentit Ill. SUHM, additque in Rocis Roxolanos esse intelligendos. Quod si concedatur, in Caris Carelii vel Curones quæri possunt; nihil tamen statuere ausim, neque multum ponderis huic rei addiderim, cum præter nudum nomen nihil prorsus ad illustrandam gentium istarum conditionem occurrat, neque sedes quidem memorentur. Coævus autem Nestoris, ADAMUS BREMENSIS, non solum plures cum superioribus convenientes indicat appellationes nationum, sed etiam habitacula earum inter Russiam & Sveciam sita fuisse, hujuscemodi verbis enarrat: "*Longis terrarum spatiis regnant Sveones usque ad terram feminarum. Supra illas Wilzi, Mirri, Lami, Scuti & Turci habitare feruntur usque ad Ruzziani*" 13). Nomen Turcorum, quantum nobis constat, inexplicatum hucusque permansit 14), in Scutis tamen agnoscimus Ruslorum Tschudos, in Mirris populum quem Meria, in Wilzis (quod Wirzi legendum esse volunt), quem Ves appellat Nestor. Horum populorum fama non e Scandinavia ad Adamum pervenire potuit, cum nullibi occurrant vestigia, nomina hæcce ibi in usu vel nota fuisse. Passim vero ab eodem auctore mentio fit navigationum ad "*Ostragard Ruzzie*" tam e Dania quam præsertim urbe Julino, ad ostium Oddoræ fluvii

sito, susceptarum 15), verisimile igitur est, eum ex indi-
ciis peregrinatorum inde reverterorum, harum gentium
notitiam hausisse; quod si concedatur, verisimillimum
videtur, etiam Lamorum nomen e Russia ad eum rela-
tum, vitio librarii ex appellatione Jamorum vel Jemo-
rum originem ducere.

- 1) Cfr. OTHERI peripl. ed. PORTH. in Sw. Witt. Acad. Handl. Del. VI, S. 60—66. Cel. RASK in notis ad eundem peripl, a se edit. (Skand. Litt. Selsk. Skrift. aar 1815, p. 91, not. i) hæc habet: "Det er ogsaa rigtigt hvad Porthan anmærker, at Islænderne ved Finnar sædvanlig betegne de nu saa kaldte Lappar og ved Finmörk hela Lappernas Land. — Dog menes uden Tvivl ogsaa i senere Tider egentlige Finner (Suomalaiset), hvor det nævnes Finland, Kvenland, Kyrialand ell. dest." Cfr. Adami Brem. Hist. Eccles. c. 231 sq.
- 2) PTOLOMÆUS: Πέρα του Ὀυιστελαν ποταμον ὑπο τους Ὀυενεδας Γυθωνες, εἴτα Φιννοι. Vid. Schwägers Allgemeine Nordische Geschichte, S. 37, & Mannerts Geogr. der Griech. u. Röm. 2:te Aufl. Th. 4, S. 268.
- 3) Probatur hocce imprimis nominibus locorum a Lapponibus tractis & apud nos usitatis, e. c. Lappeenranta, Lappi-
pivesi &c. Cfr. FRANTZÉN de Bircarlis, Præs. PORTHAN. Aboæ 1786, sq. p. 2.
- 4) ADAMO BREM. (c. 1070) adhuc ignotum est Lappiæ nomen, circa annum 1200 vero jam ad SAXONEM GRAMMATICUM penetraverat, (Cfr. SCHEFFERI Lapponia p. 7); tempore igitur quod inter utrumque auctorem intercesserat,

nisi ortum sit, tamen Scandianis magis innotuit nomen hocce; eodem vero intervallo cum fundatum stabilirent in Fennia imperium Sveci, haud a vero abluere videntur, expeditione ERICI SANCTI Lapponum appellationem magis in Scandia divulgatam fuisse.

- 5) Quare Fennorum nomine mores incolarum borealis Norvegiæ describit TORÆVUS (Historia Norvegica P. I. p. 107 sqq.); Lappones vero spectasse ipsius verba, p. 110, probant: "*Habent Finni mansuetorum rangiferorum ingentem numerum.*"
- 6) OTHERI periplus, ed. RASK, in l. c. p. 85 sq.
- 7) Vid. Schöszers Nestor, Th. 2, S. 24 & Ewers kritische Vorarb. zur Gesch. der Russen, S. 55, Anm. 10. *Manuscriptum Nestoris fragmentum*, quod Bibliotheca nostra Academica possidet hæc habet: Во Аѡшповѣже части лѣжатъ Русь, Чюдъ и многія языцы, Мерея, Мурома, Вель, Мордва, заволочская Чудъ, Пермь, Печера, Емь &c. In paucis igitur a cæteris codicibus differt. Cum perpauca tantum Manuscripta Russica invisere nobis contigerit, de antiquitate Nestoris nostri e litterarum forma sententiam ferre non possumus; lingua tamen ibi usurpata in pluribus magis convenire videtur cum hodierna Russica, unde recentiore esse colligimus. Quo autem de ea re idiomatis Slavici peritiores judicare queant, quædam ejusdem loca excerpimus & typis excudenda curavimus. Filum narrationis codex hicce perducit ab initio operis, usque ad fœdus a Magno Principe Olego, cum Byzantinis initum, ubi in medio abrumpitur. Cfr. PORTMAN Hist. Bibliothecæ Acad. Aboëns. p. 196 & Schösz. Nest. Th. 1, S. 89.
- 8) КАРАМСИН Исторія Государства Россійскаго, изданіе второе, Ч. 1, примѣч. 73: Не только Эстонцы
ИЛИ

или Эспляндцы; Вожане или Водь, Ижорцы, Корелы, но и первобышние жители Двинской земли или Архангельской Губернии, Вологодской, Вятской, Пермской, назывались Чудью. См. Двинск. Лѣт. — ADELUNG (Mithridates, II, 740) Fennos, Lappones, Estonos & Livonos Tschudorum comprehendit nomine; FISCHER (Sibirische Geschichte, I, 123) præterea Syriacos, Permios, Wotiacos, Tscheremissos, Tschuvaschos iisdem addit.

- 9) Fischers Sib. Gesch. I, S. 4: Woloč ist in Russischer Sprache ein schmaler Strich Landes zwischen zweien einander entgegen laufenden Flüssen. Das Wort kommt von dem Russischen волочипь, schleppen, weil man kleine Fahrzeuge aus einem Fluß in den andern pflegte über Land zu ziehn.
- 10) Lehrberg üb. die Lage u. Gesch. Jugriens in libro cit. p. 29.
- 11) De reb. Gothic. Cap. XXIII.
- 12) Ulg. Nord. Gesch. S. 247. Cfr. Diss. Cel. PORTHAN de Hermanrico, Ostrogothor. Rege. Aboæ 1792 & 1794.
- 13) Historia Ecclesiastica, Cap. 222.
- 14) Sententiæ enim Cel. ИКРЕ, qui in Turcis Adami nostros Aboenses, Turfulaiset, intelligendos vult, (Cfr. Schldy. Ulg. Nord. Gesch. S. 486), nullo modo suffragari possumus, quia octoginta ad minimum annis post Adamum Aboa condita est, & nomen Turfu post Svecorum adventum in Fenniam e peregrina voce Torg ortum videtur.
- 15) Hist. Eccles. Cap. 66 & 218.

§. II.

E denominatione Tschudorum appellatio Чухна, Чухонецъ qua hodiernos Fennos nuncupare solent Rus- si 1) orta videtur; unde autem illa originem duxerit a Scriptoribus sæpe disquisitum est. Quilibet suam protulit sententiam, nemo tamen, ut in ejusmodi commentationibus evenire solet, ad persuasionem usque eam probare valuit. BAYERUS teste Schlözer, "*Tschud nihil aliud esse quam ipsam Scythicum nomen*" contendit, MÜLLER, SCHLÖZER & KARAMSIN vocabulum hocce e radice Slavonica чуда deducunt, quod primus eorum vertit "*aborigines,*" posteriores "*peregrinus, exterus*" 2). Bayeri sententiæ concinit Cel. MONE 3) urgens nomine Scytharum apud Scriptores antiquos Fennicas imprimis gentes esse intelligendas. Sed præterquam quod adsertio hæcce non nisi similitudini vocabulorum Scythæ & Tschud innitatur, nomen prius a Græcis datum esse testatur HERODOTUS 4), Tschud vero nunc quoque in Sibiria gentium antiquitus ibi habitantium, quasi Aboriginum est denominatio 5), quam a Græcis illuc transiisse, ob locorum distantiam non putaverim. Scythæ Herodoteo jam tempore ponti Euxini litora borealia inde ab Hypani (Bog 6) fluvio usque ad Tanain & ultra tenuerunt 7); Fenni vero multo seriori ætate Europam intrasse videntur, cum vel hoc tempore tam propinquæ Asiæ finibus, vel in ipsa Asia, sedes teneant quædam eorum stirpes, & itinera eorum serie gentium, sparsim per imperium Rusficum a coro eurum versus habitantium designentur 8), cumque præterea hucusque magis orientalem servaverit genium lingua nostra 9). Quare florentibus Helladis temporibus, remotiores Asiæ partes tenuisse videntur, ideoque Græcis vix innotescere potuerunt plurimæ Fennicæ originis gentes. Tradit denique antiquitas, Sarmatas, quos hodie-
nos

nos Slavos fuisse probat Cel. MANNERT 10), cuique concinit Cel. Mone, sermone ufos fuisse Scythico 11): qui igitur sententiæ Bayeri favere vellet, linguas Fennicas & Slavicas e communi fonte ortas esse contendere deberet; quam autem assertionem maxima, quæ inter structuram & originariam formam utriusque idiomatis intercedit, differentia mox refellit, unde simul tota ista opinio necessario corrui. Cum autem nomen Scytharum populis pluribus boream incolentibus tribueretur a Scriptoribus veteris ævi, (Herodoto tamen excepto, qui certam aliquam gentem indigitare videtur), etiam Fennicas stirpes, si quæ forte iis notæ fuerint, ita esse appellatas, quis non concedat? id tamen jure contendere posse putamus, non solos neque in primis, Fennos hac denominatione intelligendos esse. — Sententia Mülleri de vi vocabuli Tschud convenit quidem optime cum notione quam populis Sibiriaci ei tribuere videntur; tum vero non e lingua Slavonica deduci potest, sed forsan origo ejus in linguis Sibiriacis, quarum numerus ad quadragenarium prope accedit 12), sit quærenda? Si putare velimus illud nomen nostratibus utpote exteris vel peregrinis a Russis esse inditum, difficile tamen erit explicatu, cur tantum Fenni, iidemque imprimis sinus Fennici usque ad mare Album accolæ, ita appellati fuerint, cum tamen neque aliis caruisse incolis, origine a Slavis diversis, veterem Russiam constet 13). Ubi porro consideres a Lapponibus etiamnum gentem hostilem, a qua olim majores suos magnum in modum vexatos perhibent, TJUDE vel TSCHUDE 14) appellari, verisimillimum evadit, nomen hocce fuisse gentis nostræ, hodiernam suam patriam jam intrantis, a vicinis, vix tamen a Slavis tunc temporis, quantum constat, ad Danubium "*bo-veam versus Viscla tenus commorantibus*" 15), eidem inditum. Propriam vel domesticam istam non fuisse Fennorum

norum appellationem, quisque vernaculæ peritus intelliget: pronuntiatio namque litterarum Tsch vel Tj (Rufs. ч) genuino Fennoni plane impossibilis est. — Continuato cum vicinis commercio, his quoque propria singularum gentium Tschudicarum nomina, quamvis cujusque populi pronuntiatione mutilata, innotuerunt; sic nostri *Rajalaiset* a Russis *Корелы*, a Scandianis *KYRIALI*, *KURI*, *KYRI* & *KYRII* 16) appellabantur. In *CURETIBUS* Saxonis Grammatici autem & in *CHORIS* Rimberti Carelios quoque quærendos esse, cum Ill. Schlözer non contenderem 17): Scimus namque urbium in Carelia ante exitum seculi decimi tertii non occurrere vestigia, Rimbertus vero in terra Chororum quinque urbes vel oppida jam suo tempore existisse perhibet; simili modo a Saxone in historia expeditionis Hadingi, principis Daniæ, una cum pirata Lifero contra Curetum tyrannum susceptæ, urbs *Duna* memoratur, neque præterea verisimile, hosce recta via Careliam remotam tetendisse, propioribus Estonia Fenniaque neglectis. *CURLANDIAM* vero Adami Bremensis 18), quam nostram fuisse Careliam *RUDBECKIUS* 19) probandum sibi proposuit, nemo certe in Fennia quæret, qui consideraverit, quam exacte gentes inter Sveciam & Russiam sitas enumeraverit auctor, ubi tamen nulla fit mentio Curlandiæ 20).

1) Usitatus tamen in elegantiori loquendi modo jam evasit nomen *Финляндецъ*, *Финляндія*.

2) Schlöz. *Nest. Th. 2, S. 40, Th. 3, S. 17. Alg. Nord. Gesch. S. 302. KARAMS. Ист. Росс. Ч. I, прим. 73 & 75. Cel. ADELUNG (Mithrid. II. S. 739), ignotam sibi esse nominis Tschud significationem, manifeste fatetur.*

- 3) Gesch. des Heidenth. im nördl. Europa, Lpz. u. Darmst. 1822. Th. I S. 12: Was bei den Alten sehr unbestimmt Scythen genannt wurde, das waren eigentlich Völker des finnischen Stammes, und was Sarmathen hieß, waren Slawen.
- 4) HEROD. IV, 6: Σύμπασιν δὲ εἶναι ὄνομα Σκολότους, τοῦ βασιλῆος ἐπανυμῖν. Σκυθᾶς δὲ Ἕλληνας ὀνομάσαν.
- 5) Schlösz. Nest. Th. 2, S. 39: Tschud bedeutet noch jetzt in ganz Sibirien bis an die Gränze von Sina hin, unbekannte Aborigines. Wenn man die Einwohner fragt von wem sich diese oder jene Nuzne herschreibe, so antworten sie: nicht von Russen, sondern von Tschuden, die vor Menschengedenken im Lande lebten.
- 6) Mannerts Geogr. d. Griech. u. Röm. IV, S. 106.
- 7) HEROD. IV, C. 17—20, C. 22.
- 8) Cfr. PORTH. ad Juust. p. 71 sqq. Schlösz. Nest. 2, S. 39 ff. & Allg. Nord. Gesch. S. 493.
- 9) Sjögren über die Finnische Sprache u. ihre Litter. S. 30 ff.
- 110) Mannerts Geogr. IV, S. 171 ff: Primis æræ Christianæ seculis, Sarmatæ, longis terrarum spatiis in Polonia & hodierna Russia meridionali consessi, a populis ipsos invadentibus non expulsi sed subjugati obveniunt; nihilominus tamen post mortem Attilæ nomen eorum evanescit & in iisdem locis occurrit gens frequentissima Slavorum. Stirps ingentis multitudinis radicitus exstingui non potest, & si tota quanta patriam reliquerit, tam singularis rei aliquod saltem documentum ad posteros transierit necesse est; quod vero ubi nullibi reperitur, non modo verisimillima, sed vero unica, absque contradictione amplectenda remanet sententia, appellationes Sarmatarum & Slavorum eidem genti esse tributas, quarum posterior, utpote forte populo propria, serius innotuit.
- 11) HEROD. IV, 117: Φωνῆ δὲ οἱ Σαυρομάται νομίζουσι Σκυθικῆ, σολοικίζοντες αὐτῆ ἀπο τοῦ ἀρχαίου.

- 12) *Fischers Elb. Gesch.* I, S. 161.
 13) *KARAMS. Ч. I* imp. 38.
 14) *LINDAHL & OEHLINGS Lex. Lapp:* "Tjude, hostis, "stende. Hoc nomine hostes a quibus se olim vexatos perhibent, appellant Lappones, interdum & vocantur Karjeleh."
 15) *JORDAN. de reb. Gothic. Cap. V.*
 16) *TORFÆI Hist. Norv. P. I. p. 160 & 453.*
 17) *SAXONIS GRAMM. Historia Dan. ed. Steph. L. I, p. 12, L. III, p. 46. RIMBERTI Vita S. Ansharii, Cap. XXVII. Schlöz. Allg. Nord. Gesch. S. 494, 499 f.*
 18) *Hist. eccl. c. 223.*
 19) *Atlantica, T. I, p. 337 sqq.*
 20) *Hist. eccl, c. 222.*

§. III.

Fines quinam fuerint veteris Careliæ, haud facile est explicatu; variis certe temporibus vario patebat ambitu. Reperimus eam a Neva fluvio & sinu Fennico 1) per hodiernam *Fenniam orientalem* & partes provinciarum *Olonez* & *Archangel*, usque ad Finmarkiam Norvegiæ & oras maritimas extensam; unde etiam litus oceani glacialis euronotum versus reflexum a Torfæo 2) appellatur *Karelsfranda*, & intima pars sinus Albi, ad libonotum spectans, a Russis *Корелский берегъ* nominata est 3). Versus occidentem popularibus Tavattis nostrates erant finitimi 4), ita tamen, ut adhuc seculo decimo quinto inuis, silvis & vastis solitudinibus disjungerentur 5). A parte orientali, ultra lacum Ladogam, Dvinæ fluvii vicinias tetigerunt 6). E regionibus provinciæ Olonezensis, & veteris Permiæ vicinia eosdem immigrasse, ob majorem, quo

istrorum extendebantur sedes eorum, ambitum, omnino credibile videtur 7); cum vero nulla reperiantur vestigia Careliam sinui Fennico adjacentem serius vel minus frequenter inhabitatam fuisse, quam boreales terræ ejusdem regiones, haud a vero abluere arbitraret, aliquam nostratium catervam trans fluvium etiam Nevam, Tavastorum iter subsecutam, commigrasse. Antiquitus Carelios prope sinum Fennicum sedes habuisse, e nomine *Ryrialabottn*, mari huicce in Sagis Islandicis tributo, jure colligi posse putaverim 8). Quonam autem tempore Carelii domicilia hæcce ingressi sint, quandoque Fenni universi patriam suam præsentem intraverint, haud constat; Slavi quidem sedes suas occupantes, & usque ad lacum Ilmen boream versus penetrantes, Tschudos jam per eundem terrarum tractum, quo nunc occurrunt, reperisse videntur 9). Definita aliqua civitatis forma destituti 10) & in extenso satis spatio sparsim viventes, pro loci cujusque indole & diverso, quod ipsis cum vicinis interfuit commercio, diversa admodum perpesi sunt fata Carelii australes & boreales, quorum priores vel confines vel socii vel hostes (pro ratione scilicet diversorum temporum) Estonum, Rusorum, Fennorum & Syecorum, rerum ab his gestarum sæpe participes obveniunt. Posterioribus vero Lappones, Quæni, Norvegi, Sveci & Rusi, remotiori ætate quoque Biarmii & Huni 11) contermini erant, unde varie sese conformavit historia eorum. De Carelia australi in Sectione præsentis differere statuimus, sperantes fore ut in posterum nobis liceat quæstionem ad septentrionalem quoque proferre.

1) Vid. TORP. Hist. Norv. I, p. 446; DREYER'S Specimen juris publ. Lubec. circa jus naufragii, p. CLXXIX.

2) TORP.